



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

I. De rerum divisione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

SUMMÆ IVRIS CANONICI
LIBER SECVNDVS.

Qui est de Rebus.

DE RERVM DIVISIONE.
TITVLVS I.

Superiore libro exposuimus de jure personarum: modò de altera tripartitæ divisionis juris parte, quæ est de Rebus, pertractemus. Summa verò Ecclesiasticarum rerum divisio hæc est, quòd aut sunt corporales, aut incorporales. Corporales sunt, quæ tangi aut alio corporis sensu percipi possunt, veluti sunt Sacramenta, Ecclesiæ, templa, monaste-

ria, calices, prædia, sylvæ, fructus & similia. Iæ corporales sunt, quæ nullo sensu corporis percipiuntur, utpote quæ in jure consistunt; ut sunt, electio, collatio, institutio, jus patronatus, jus decimandi, succedendi, sepeliendi, & obligationes quoquo modo contractæ. *Similis divisio extat apud Iustinianum tit. Instit. De reb. corporalib. & incorp.*

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

TITVLVS II.

§. 1. De notione Sacramenti & ejus definitione.

Sacramenti varia acceptio est. Quandoque idem significat, quod iuramentum, ut in *Authent. Sacramenta puberum. C. Si adversus vendit. in l. Miles §. ignominiosa D. De re milit. hinc Sacramentalis, in V. sibus feud. c. 2. circa fin. 1. Si de investitura inter quandoque rem abditam sive occultam, ut apud *D. Paulum ad Ephes. 1. cap. & apud Thobiam c. 2.* In proposito autem argumento denotat signum rei sacræ, qua significatione ita vulgò definiti solet: Sacramentum est invisibilis forma, *can. Sacrificium 32. de consec. dist. 2.* Vel ut explicatiùs in eadem sententiam, Sacramentum est invisibilis gratiæ visibile signum, ad nostram justificationem institutum, *Catechis. Roman. de Sacram. in genere cap. 1. n. 3. in fine, adde can. Multa 83. circa mod. l. q. 1. & Bellarm. de Sacram. lib. 1. cap. 11.**

§. 2. Septem novæ legis Sacramenta.

Sunt autem novæ legis Sacramenta septem; videlicet, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium. *Conc. Floy in instruct. Armen. sub Eugenio IV & Trid. sess. 7. can. 1. de Sacram.*

§. 3. Sacramentorum quædam necessaria, quædam arbitraria.

Horum quædam ad salutem necessaria sunt,

quædam non sunt, sed voluntaria, id est, pro cuius jusque arbitrio & voluntate suscipiuntur, *cap. Armeniens 8. Ext. De transact. Conc. Trid. d. sess. 7. can. 4.* Necessaria sunt, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, & extrema Unctio; hæc enim sine periculo salutis prætermitti, aut certè temerè negligi non possunt, *text. in can. Nulla præter eam c. seq. de consec. dist. 4. can. 1. cum can. seq. de consec. dist. 5. cap. Omnes utriusq. 12. Ext. De pœnit. & remiss. & can. 1. xxv. q. 7.* Voluntaria sunt, Ordo & Matrimonium, *cap. 2. c. 14. Ext. De sponsal. 1. ad Corinth. 1. & latius docent tituli seqq.*

§. 4. Quædam characterem imprimunt, quædam non imprimunt.

Rursus ex Sacramentis quædam characterem imprimunt, id est, signum quoddam spirituale & indelebile; unde nec iterari possunt absque sacrilegio, veluti Baptismus, Confirmatio, & Ordo, *Conc. Trid. d. sess. 7. can. 9.* cætera reperi non prohibentur *De extrema Unctione probat Concil. Trid. sess. 14. cap. 3. in doctrina de Sacram. extrema Unctionis. De Eucharistia, Pœnitentia & Matrimonio probat. præter alia, quotidianus usus.*

§. 5. An quid ordinata sunt novæ legis Sacramenta?

Et quidem per Baptismum spiritualiter renascimur;